# DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE PSYCHOPATHIIS, QUAM...

Ignazio Jurende



9
Sel.

# DISSERTATIO
## INAUGURALIS MEDICA
DE
# PSYCHOPATHIIS,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS
DOMINI DECANI,
nec non
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
pro
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE
ET LEGITIME CONSEQUENDIS
in antiquissima ac celeberrima scientiarum
UNIVERSITATE VINDOBONENSI
publicae disquisitioni submittit
***Ignatius Jurende,***
Moravus.

---

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die . mensis Augusti 1846.

**Vindobonae.**
Typis Caroli Ueberreuter.



In's Innere der Natur dringt kein erschaffner Geist.
Nur allzuviel wenn sie die äussere Schale weist.

**Haller**

Sat mihi sunt pauci lectores; est satis unus;
Si me nemo legat, sat mihi nullus erit.

**Oveni Epigr.**

C'est cela qu'on exige du médecin, de faire l'impossible, de faire vivre les morts, fleurir les décrepits; et pourtant on l'insulte, on le méprise, quand on n'en a besoin. Pauvres médecins! — Pauvre médecine! —

**Voltaire.**

PERILLUSTRI AC EGREGIO

DOMINO DOMINO

**FERDINANDO**

**EQUITI A STAUDENHEIM,**

TURMAE CAESAREO-REGIAE OFFICIALI, DOMINIORUM PROPRIETARIO, PRIMAE SOCIETATIS OECONOMICAE VIENNENSIS COMMEMBRO ETC ETC.

VIRO

INGENIO, MAGNANIMITATE ET BENEVOLENTIA

INSIGNI,

SUMMO BONARUM LITERARUM

**AESTIMATORI ET CULTORI,**

FAUTORI SUO AESTIMATISSIMO,

**AMICO DILECTISSIMO**

IN

PROFUNDAE VENERATIONIS ET GRATITUDINIS

**TESTIMONIUM**

PRIMOS HOSCE LABORUM MEDICORUM FRUCTUS SACROS VULT

**Auctor.**

# Vir Illustris!

**T**ot tantisque laboribus ad supremam Doctoratus lauream assequendam a me postulatis, riteque exantlatis, tandem exaptatam licuit attingere metam. Felicissimam vero me praedico, summam venerationem et aestimationem, quibus animus meus erga **Te, Vir Inclyte!** devinctus ultro tenetur, atque in sempiternum tenebitur, me hicce palam profiteri posse. Indelebilis manet gratissima memoria beneficiorum, quae animus meus perseneserat, dum **Te** vastas per terrarum plagas, altissimas Alpes, nec non amplissima silvarum nemora ubique comitari licuit.

Parva quidem sunt, quae offero; ast mollis quoque salsis adrident coelicolae, litantis animum aestimantes:

„Nec bove mactato coelestia numina gaudent,
Sed quae praestanda est, et sine teste fide."

Suscipe igitur benignissime haece exiguas pagellas, primae studiorum meorum in arte Hippocratis sobolem, qua summae **Nominis Tui** venerationis, quam, quoad usque vivus, conservabo testimonium.

***Auctor.***

# Prooemium.

Adgredior materiam vix universae ad mirandam in scientiis perfectionem evectae artis, nedum exiguis viribus meis parem, difficultatibus haudquaque circumvallatam, videlicet: *Tractum de Psychopathiis*, morbis omnigeno respectu diguissimis. Ad hanc suscepti negotii audaciam adlexit me objecti dignitas summa, cujus et gravitas maxima sub labore ipso primum mihi innotuit; ad opusculum vero concinnandum haud vanae gloriae cupido, aut nimius scribendi pruritus, quam potius officium sacrum atque ferrea legis academicae duxit necessitas.

Lector benevole! nova atque inaudita hocce brevi in tractatu frustra quaesitabis, quae in vastis auctorum recentissimorum, quorum haud parva est copia, operibus dispersa invenire fas fuit, ea in ordinem colligere, atque quantum humeri ferre valeant

in unum jungere totum tentavi. Imperfecti laboris — cujus haud minimam partem gerit magnum temporis intervallum, inde a Indis literarum derelictis elapsum, quod me terra marique hinc inde circumactum, ad eundem demum, e quo egressus eram, portum reduxit — bene conscius, nonnisi fretus conamine sincero, problema mihi impositum pro viribus solvendi, praesens opusculum benigno lectoris periti committo judicio.

---

## SECTIO PRIMA.

### Pars generalis.

### §. 1.

*Notio et denominatio Psychopathiarum.*

Nomine Psychopathiarum veniunt morbi hominum proprii, ubi nimirum illae functiones a norma abludunt, quibus homo a caeteris animalibus distinguitur. Ast non omnis vitae psychicae a typo normali deviatio jam psychopathia nuncupari potest, verum ea solummodo, in qua vita psychica in sua essentia, in spontanea ratione, et voluntate fundata, alienata esse censetur. His conformiter psychopathias definimus qua deviationes singularum aut omnium functionum animae, mentis intelligentis, et animi volentis a typo earundem fundamentali, per quas conscientiae et voluntatis spontaneitas pro parte vel e toto sufferetur. Quaevis psychopathia consistit in sublata relatione harmonica facultatum et functionum animae inter se et cum mundo externo ita, ut homo suprema sua dignitate, nempe conscientia sui ipsius, rationis recto usu, atque libera voluntate privetur. Patet hinc differentia morbi psychici a peccato, in quo liber usus rationis et arbitrium liberum adest, et quod educatione morali sanari, et voluntate firma emendari potest; in psychopathiis vero de rationis usu, conscientia et voluntate libera nullus est sermo, fit hac ratione homo ex ente libero ens automaticum.

Variis nominibus morbi, de quibus sermo fit, designari solent variis ab auctoribus, uti: *Delirium*, *Mania*, *Alienatio mentis*, (Pinel) *Insanity* (Cox), *Ve-*

*saniae etc. etc.* Pars illa scientiarum medicarum, quae principia tradit, juxta quae psychopathiae cognosci et curari queant, vocetur *Psychiatria*. Medicus, qui secundum haec principia vesanis adsistit, nuncupatur *Psychiater*.

## §. 2.

### *Brevis conspectus historicus Psychiatriae.*

Ante Hippocratem nulla viguit in Psychiatris theoria; attamen apud antiquissimos jam Graecos et Hebraeos exstabant observationes, imo et methodi medendi singularum mentis alienationum. Scimus ante omnia Kainum delirasse ita, ut se in brutum transmutatum cogitaverit (Zoanthropia). Prima Hebraeorum acta continent historias duorum vesanorum regum. In Saule habemus imaginem maniae misanthropicae, a qua musicae ope a Davide liberatus fuit. Nebukadnezar, rex Babylonise a prima juventute visionibus tentatus, denique in Lycanthropiam incidit. Ex Graecorum Mythologia constat, quod Hercules et Ajax mania, Alkmaeon et Orestea vesania, denique diis exosus Bellerophon laboravit melancholia, quam Homerus vividis depingit coloribus:

> Qui miser in campis moerens errabat Aleis
> Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.
> (Ilias VI. 200.)

Morbus mentis, quem Lycanthropiam nominamus, in Arcadia endemicus fuit, uti illc Scytharum, cujus Hippocrates mentionem facit, qui detenti ob perfectam generationis impotentiam se in mulieres conversos reputabant. Crescente cultura hominum numerus quoque vesaniarum increvit. Nominatus medicinae pater primus scientifice morbos hos pertractavit. Aat primus Psychiater erat A. Cornelius Celsus, qui Hippocratis Paranoisa vocat Insanias, et tres harum

distinguit formas duratione n ne distinctas. Aretaeus Cappadox in libro *de causis et signis morborum diut.* describit melancholiam et maniam; ast manca est ejus therapia, curae psychicae nec meminit.

Caelius Aurelianus priori accuratius eosdem morbos delineavit.

Galenus magnus haud ulla in Psychiatrin habet merita.

Oribasius ideas de vesaniis aevo suo regnantes in unum collegit. E numero neptem Graeciae philosophorum memorari hic merentur: Pythagoras, cui influxus musicae in psychen notus erat; Socrates, qui jam vesanos a stultis distinxit; et Plato, qui vesaniarum causas organicas et psychicas adducit. Cicero mentionem facit furoris, melancholiae, amentiae et dementiae.

Ab hoc tempore usque aevum medium Psychiatria nulla cepit incrementa. Hieronymus Mercurialis, professor Paduae, Bologne et Pisae in speciali sua therapia pertractat Melancholiam, Lycanthropiam, Fatuitatem et Maniam.

Prosper Alpinus in suo opere de medicina Aegyptiorum plura exempla vesaniarum adducit.

Felix Plater, Helveta a. 1625 classificationem psychopathiarum tentavit.

Celeberrimus Boerhave fundamentum melancholiae posuit in atra bile, maniam tantum gradum majorem prioris statuit.

Van Swieten in prioris aphorismos commentatus plura memoratu digna vesanorum exempla adfert *).

Fridericus Hoffmann in suo opere **) pertractat delirium melancholicum et maniacum. Phle-

*) Comm. in H. Boerhave aphorism. T. I. 5.
**) Med. rat. syst. T. IV. P. 4. Cp. 8.

botomia est ei princeps remedium vesaniarum. Sec. XVIII. claruit in Italia Chiarugi, cujus opus *) tribus tomis constat.

Denique nostrum aevum quam plurimos offert Psychiatriae cultores. Ante omnia memorandus est Pinel, qui in opere suo **) quinque vesaniarum species statuit: melancholiam, maniam absque delirio, vesaniam cum delirio, dementiam et idiotismum. Hic vir praeprimis curam psychicam excoluit.

Esquiroi, prioris discipulus dignissimus, nuperrime fatis functus in Psychiatria perquam felix, sequentes habet formas alienationum mentis: monomaniam, maniam, dementiam et imbecillitatem.

Monomaniam dividit in melancholiam et maniam; prioris tres sumit varietates: melancholiam religiosam, erotomaniam, et autochiriam.

In Anglia Wilhelmus Cullen fundavit theoriam et praxim medico-psychicam, omnes morbos animae vocat vesanias. Kant dispescit morbos animi in hypochondriam et moriam. Morborum mentis has agnoscit species: amentiam, dementiam, insaniam et vesaniam.

Unus e praecipuis recentissimi aevi Psychiatris est Prof. Heinroth, qui in suo opere ***) eximiam dedit vesaniarum divisionem.

I. Ordo: *Hypersthenicae.*

1. *Genus: Exstasis* (Wahnsinn).
   *Species: E. simplex — E. paranoia — E. maniaca, — E. catholica.*

---

*) Della pazzia in genere e in specie e. 1793.
**) Traité medico-philosophique sur l' aliénation mentale. Paris 1800.
***) Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens oder der Seelenstörungen und ihrer Behandlung. Leipzig, 1818.

*Varietates*: 1. *Erotomia* aut melancholia erotica.
2. *Daemonomania*; 3. *Melancholia metamorphosis*:
a) *Zoanthropia*; b) *lycanthropia*; c) *cynanthropia.*
4. *metromania* i. e. furor poëticus.

2. *Genus*: *Paranoia* (Verrücktheit).
*Species*: *Ecnoia, Paraphrosyne, Moria*, et *Par. catholica.*

3. *Genus*: *Mania* (Tollheit).
*Species*: M. *continua, acuta, chronica, periodica, metromania, Satyriasis, melancholia saltans.*

II. Ordo: *Astheniae.*

1. *Species*: *Melancholia.*
*Var. M. religiosa* et *Nostalgia.*
2. *Sp. Anoia.*
3. *Sp. Abulia.*

III. Ordo: *Hyperaesthesiae.*

Hae mixtae alienationes pertinent

Denique magni nominis vir, decus Facultatis nostrae Liber Baro a Feuchtersleben in opere celeberrimo auditoribus suis destinato *) fundamenta summe rationalis totius Psychiatriae statuit. Secundum ejus principia omnis Psychosis est simul nevrosis, ast non quaevis nevrosis est etiam Psychosis. Omnes mentis et animi alienationes in 4 genera distribuit: Idiotismum, Melancholiam, Maniam et Moriam. Haec, neque plura genera psychopathiarum in natura ab invicem distingui possunt.

*) Lehrbuch der ärztlichen Seelenkunde von Ernst Freiherrn v. Feuchtersleben, 1841

## Typus generalis vesanorum.

Sphaera somatica affecta illica emergunt symptomata, quae naturam, gradum, sedem etc. morbi exprimant; idem fit in vesania, sub quibus subito psychica in lucem emergunt phaenomena; ob intimum vero nexum vitae psychicae et physicae observantur morbosa aut insolita signa tum in corpore, tum in anima.

### A. Phaenomena somatica.

Ad haec quam maxime referatur physiognomia, tam characteristica et pathognomonica ut primo obtutu ab illa hominis sana mente praediti distingui possit. Oculus, speculum animae, plura signa nobis offert; deest quietus ille obtutus, quem in sanis hominibus cernere licet, bulbus vel quaquaversus rotatur, vel in unum fixatur objectum; sub insaltu delirii aut maniae saepe rima palpebrarum violenter ab lavicem dilatatur; obtutus ipse in nonnullis quietus est, ast minax, in aliis timorem et anxietatem exprimit; dum maniacus omni temporis momento ad pugnam paratus omnia objecta eundem circumdantia oculis protrusis fulgentibus atque rubris intuetur, quasi omnia annihilare conatur; melancholiae deditus interim suam umbram plane exhorrescens semet omni conatu abscondere quaerit; incessus hujus est incertus et titubans, brachia pendula, lineamenta faciei defigurata, dolorem gravissimum designantia, caput nutat, oculi in orbitam sunt retracti, obtutus immobilis.

*Fatuus* atque *Idiota* summam ostendit indifferentiam; oculus est splendoris expers, maxilla inferior pondere suo deorsum prolapsa et positio corporis incurvata. Ceterae functiones somaticae in genere, cum primis ab initio morbi, rite procedunt.

Sequentia insuper hic adduci merentur:

1. Vis digestrix apud vesanos in genere est adaucta.

2. Alvus utplurimum observatur constipa, et faeces evacuatae sunt siccae, griseae, nonnisi ultimis vitae diebus conditio alvi mutatur.

3. Urinae evacuatio in genere est segnis, lotium dio retinetur, quia atonia organorum adsit.

4. Functio cutis externae est utplurimum prostrata, quare cutis tangitur plerumque sicca, imo et arida.

5. Pulsus arteriarum nulla characteristica praebet signa.

6. Non rara magna observatur dispositio ad genesim Epizoorum, etsi munditiss summum locum habeat.

7. Erga varia pharmaca miaimam antecedant receptivitatem, cumprimis erga Opium et analoga pharmaca; tum erga Emetica et Purgantia peculiari idiosyncrasia laborant; ingentes doses horum remediorum ferunt, quin effectus ulius insequatur.

8. Somnus eorundem est plerumque turbatus et per anxia et inquieta somnia interruptus. In altiori gradu saepe per plures hebdomades durat agrypsia.

In longiori duratione vesaniarum quodvis fere organon corporis in functione sua turbari, imo et notabiliter aegrotare potest.

### B. Phaenomena psychica.

1. *Perceptio* sensualis est saepissimae alienata, quin in organis ipsis ullae turbae animadverterentur; adsunt non raro illusiones sensuum variae pure psychicae, praesertim vera visus et auditus; intuentur objecta, quae non existunt, putant se personas sibi gratas audire loquentes.

2 *Phantasia* est jam indomita atque nimis exorbitans, jam penitus exhausta, jam denique quoad indolem perversa.

*Amnesia* in plurimis casibus patitur; in specie nullam habent reminiscentiam rerum morbum proxime praecedentium, bene vero illarum, quae sub morbo praecante lucem habuere, optime cognoscunt suum medicum et parabolanum, recordantur beneficii aut poenae ab iis sibi exhibitae.

4. *Ratio* est in plurimis casibus abnormis, judicia absurdissima et ratiocinia quam maxime inconcinna proferens, ast non raro dolum manifestant.

5. *Sensatio* est saepius prostrata, erga calorem et frigus, sitim et dolorem omnem non raro penitus insensiles sunt. Non pauci eorum, ni ad cibos sumendos cogerentur, prae fame perirent. Alias vero maximus adest erethismus sensationis; vel minimus aëris flatus maximam provocat inquietudinem. Denique diversae animadvertuntur hallucinationes sensationis; sic putant organo sua in alio versari situ.

6. *Instinctus* haud raro dominio rationis subductus nimiopere exurbitat, atque omnis mentis facultates quasi sepellit, unde vorncitas inexplenda, instinctus sexualis in erotomaniam conversus, etc. ast non raro omnes instinctus languent, nihil adpetunt, nihilque reformidant, per menses imo et annos ne verbum quidem proferentes.

5. *Conscientia et libera* voluntas aut sunt abolitae, aut ad imum gradum depressae.

8. *Affectus* alio modo in vesanis manifestantur, quam in statu sano. Amor prior vertitur in odium, hoc vero in amorem.

Pathemata prius eisdem ignota nunc maximo in gradu in lucem emergunt, consuetudines prius cultas derelinquunt aut vero exaggerant.

## Aetiologia Psychopathiarum.

I. Momenta disponentia triplici respecta considerari possunt

a) Ex parte animae.
b) — — corporis.
c) — — influxuum externorum.

1. *Ex parte animae ipsius.* Hac referantur:

a) defectus facultatum mentalium congenitus,
b) — impressionum, quae facultates dictas excolunt,
c) una vel altera functio mentalis in sua evolutione per culturam neglecta, alia interim nimis exculta.
d) Multum confert temperamentum. In *cholerica* magna adest dispositio ad vesanias, cumprimis vero ad maniam et delirium

*Phlegmaticum* disponit ad varias psychopathiarum formas, prouti eum eo major aut minor evolutio tum corporis tum mentis incedit. Quodsi facultates hae minus excultae fuerint (temperamentum phrygicum) facillime aritur amentia cum suis gradibus; in contrario casu (temperamento boeotica) facillime melancholia exoritur. *Temperamentum sanguineum* proclivitatem gignit ad Extasin, seu phantasiae exorbitantiam.

2. *E parte corporis* disponunt ad vesanias:

a) Deformitates congenitae encephali, hujusque velamentorum, nec non ossium cranii.
b) Morbi varii cerebri et ejus membranarum.
c) Exhaustio corporis totius per morbos varios, aut nimiam virium adstrictionem aut profluvia cruoris aliorumque humorum cumprimis nobilium, maxime vero spermatis, liquaris maximae in oeconomia animali dignitatis. Masturbatio est frequentissima causa melancholiae, fatuitatis, moriae, denique proclivitatis ad autochiriam; eodem modo nimius prae-

primis simul praematuras aut etiam in senio exercitus coitus ansam psychopathiarum sistit. — Porra exhauriunt corpus defectus nutrimentorum, abasus potuum spirituosorum, quae ab initio quidem systema nervorum excitant, ast secundario modo eo magis exhauriunt omnesque functiones organicas prosternunt; denique quam maxime nimia studia, carce et vigilia.

d) Morbi varii corporis, praecipue vero vitia cordis, pulmonum, organorum abdominalium, arthritis, helminthiasis, anomaliae menstruationis, suppressiones profluviorum vel naturalium vel habitualium.

e) Praecipuum momentum vesaniaram praegumanon sistit graviditas, partus et puerperium.

f) Cumprimis vero mola systematis nervosi ad vesanias disponunt; maxime vero epilepsia, tum hysteria et hypochondria.

g) Ipsa quoque labes haereditaria uti in morbis somaticis, ita in psychicis quoque haud immerito inculpanda venit secundum legem illam: *Ens generatum simile est enti generanti.*

3. *E parte influxuum externorum.*

a) *Clima, ratio tempestatum atque soli.* In regionibus tropicis longe plures regnant vesaniae; in zona temperata ad eorum frequentiam contribuit major mentis cultura. Quoad tempestates certum est, quod aër serenus animum hilarem, e contra nebulae et nubes diutius regnantes melancholicam reddunt, quin tamen ideo, ut Montesquieu vult, causa monomaniae anglicanae aniee in aëre nebuloso ibi locorum vigente quaerenda sit. Majorem partem morbi hujus gerit peculiare vitae genus, mores atque consuetudines ibi incolarum vigentes.

b) *Aetas.* Infantili aetate excepto Idiotismo in organicis anomaliis fundatae nullae adsunt vesaniae.

In juvenibus et puellis phantasia multum exculta magnam proclivitatem ad vesanias inducit, maxime vero inculpandus venit *amor* atque stimulus sexualis hoc tempore vigilans; *amor infelix et vanus* est praecipuus turbarum psychicarum fons, quae utriusque sexus individua hac aetate accapant. Aetate virili ingens caterva affectuum et animi pathematum quam frequentissimas gignit vesaniarum formas; denique senili quoque aetate non raro sunt mentis et animi alienationes, quas imprimis praeter turbas organicas taedium vitae, curae et inopia gignere solent.

c) *Sexus.* Uterque sexus aequa fere ratione disponit ad psychopathias, ast forma distinctas; masculus magis ad maniam et melancholiam, feminei vero ad vesaniam stricte talem.

d) *Vitae genus et occupatio.* Maxime occupatio cum artibus et scientiis imprimis metaphysicis germen vesaniarum involvit, unde musici, pictores, sculptores imagines pro objectis revera existentibus habentes facile vesani redduntur; ast et viri literati unde. „*Coetus eruditorum sunt semina morotrophiorum*" (**Töltenyi**); dein etiam inter opifices non raro sunt exempla vesanorum, animi pathemata, imprimis odium, invidia, avaritia et sunt totidem causae horum malorum, *nam figulus figulum odit.* Divites in omni vitae genera luxum exercendo Baccho, gulae et Veneri sacrificando, tandem vesaniarum victimae evadunt; e contra paupores, curis, vigiliis et aerumnis annigenis exhausti tandem in melancholiam imo nisum in autochiriam incidunt.

e) *Educatio physica et moralis* incepta efficere potest, ut jam infantes et pueri ad vesanias evolvendas eo maturius disponantur. Nostro adeo culto saeculo dominans educationis ratio, *ubi primae ju-*

2 *

*ventuti adultorum ad instar omnis conceditur libertas*, haud diathesim hanc expedire, imo eam promovere valet.

## II. Causae excitantes.

Quamplurimae ex adlatis momentis disponentibus, si gradum majorem adtingant excitantes sistunt morborum animae causas. Praeterea sequentes adhuc considerare oportet.

1. Calor, frigus aut subita eorundem vicissitudo. Insolatio quam frequentes gignit vesanias, frigus exhaurit omnem vitam.
2. Tensia electrica tum positiva tum negativa.
3. Aër vario modo alteratus.
4. Nutrimenta et potulenta ut dictum.
5. Pharmaca stimulantia et narcotica nimia.
6. Motos corporis alienus.
7. Exercitium sensuum externorum et internorum ineptum; denique.
8. Studium imitationis et sympathiae nervorum, unde non raro medici in Morotrophiis multum versantes contagio hocce immateriali succumbunt.

## Decursus, Duratio et Exitus vesaniarum.

In decursu morborum psychicorum tria distingui possunt stadia.

a) *Stadium* prodromorum.
b) — morbi.
c) — reconvalescentiae.

### a) Stadium prodromorum.

Insignitur symptomatibus tum somaticis tum psychicis. *Somatica* sunt: Somnus turbatus et inquietus,

aut perfecta agrypnia, subita notabilis physiognomiae alteratio, in specie obtutus mutatus, facies jam pallida, jam rubra, atque inflata, nec non diversarum functionum organicarum abnormitates.

*Psychica*. Character aegri ex toto mutatus observatur, quin peculiaris causa possit adsignari; in nonnullis insolita conspicitur hilaritas et petulantia, in aliis vero animi prostratio et amor solitudinis; alias summus adest erethismus, alias vero stupor et plenaria indifferentia. In multis casibus magna apparet inquietudo et anxietas; etiam in intellectu variae, etsi leviores observantur anomaliae, denique sensatio communis et specifica tum quantitate tum qualitate deviare solet.

## b) Stadium morbi.

Symptomata hujus jam ininterruptum, seu continuum continentem observant typum, absque notabili incremento et decremento; alias manifestae, nonnunquam typicae occurrunt remissiones et exacerbationes; denique in plurimis casibus morbus intermittere consuevit. Liberum intervallum summopere variat quoad suam durationem; reditus paroxysmi jam nullas notas, jam determinatas agnoscit causas.

## c) Stadium reconvalescentiae.

In hoc morborum studio post varium durationem omnia symptomata quantitative et qualitative minuuntur, sicque aeger cito vel lente pristinae restituitur sanitati.

*Duratio*, ut ex dictis patet, valde diversa est; dantur vesaniae acutae, quae certis mutationibus, quas Pinel, Esquirol, Friedrich crises nominant, intra brevo tempus finiuntur, dum aliae summe chronicam observant decursum.

*Exitus* obtingit vel in sanitatem, vel una morbi

forma transit in aliam e. g. Melancholia in maniam, et haec in fatuitatem, vel remanent mala mentis et animi pasthama, praecipue imbecillitas et apathia, denique mala corporis: Epilepsia, paralyses, tabes, febris nervosa lenta, scorbutus etc.

## Prognosis.

In statuendo psychopathiarum in genere praesagio sequentia momenta respicienda sunt.

1. Forma ipsius morbi; faciliua in genere sanantur vesaniae cum hypersthenia quam cum asthenia anitao. Secundum cel. Feuchtersleben: Facillime sanatur manis, difficilius moria, difficillime idiotismus.

2. Causae disponentes et excitantes, somaticae et psychicae.

3. Duratio morbi.

4. Aetas et sexus individui, denique

5. Simplicitas, aut complicatio morbi mentis cum illo corporis. Gravissima complicatio est epilepsia, catalepsis, convulsiones, paralyses et scorbutus.

## Necroscopia vesanorum.

Plurimae abnormitates in cavo cranii, cerebra hujusque velamentis deteguntur. Diametri capitis in fatuis sunt plerumque minores, in aliis formis adauctae. Processus clinoidei longiores et magis acuti. In basi cranii non raro prominentiae. Ossa cranii plerumque crassa et compacta. Pia mater et arachnoidea saepe variis exsudatis obtectae, tunicae omnes inter se, et cum ossibus cranii accretae, inter meninges serum, substantia cerebri valde mollis, quandoque odoris ingrati, raro hypertrophica, potius atrophica, gyri minus evoluti. Chemico respectu pulpa cerebri minus gerit aquae et salium, plus vero albuminis et adipis cum minori phos-

phori quantitate. In medulla oblongata et spinali raro mutationes adsunt, in idiotis plerumque nervi spinales sunt atrophici, cum majori gangliorum evolutione.

Sanguis plerumque spissior, magis ater et ad coagula pronus. In pulmonibus frequenter tubercula inveniuntur.

Pericardium cum corde et pleura accretum, in ejus cavo serum; volumen cordis saepius imminutum quum adauctum; valvulae insufficientes.

Hepar in plurimis casibus degeneratum.

**Lien** voluminе nimis auctum, et pariter morbosum.

Ventriculi et intestinorum situs saepe mutatus, in specie crassorum lumen angustatum.

Vesica fellea cum duodeno et jejuno accreta.

---

## Therapia generalis.

### A. Prophylaxis.

Princeps ac gravissimum prophylaxeos momentum est educatio tum psychica debitis conducta principiis, et quantum fieri potest, ad omnes animae dotes aequabiliter extensa, tum physica congrua Hygieses luixa fundamentis, sam mens sana nonnisi in corpore sano. Minus igitur incumbit medicis, quam potius parentibus, paedagogis et educatoribus, ut haec principia generi humano communicentur.

### B. Jatrike.

Ut omnium morborum, ita et psychopathiarum duplex est ratio medendi: *directa* et *indirecta*. Prior causis amovendis intenta, etsi rationalis, rarissime locum habet, ob causas toties ignotas, aut nulla arte amovendas, aut, etsi amotis causis effectus tamen perstantes.

Ergo ad indirectam curam recurrendum, quae vero absolvitur remediis pharmaceuticis, chirurgicis, psychicis et medico-technicis, seu variis machinis. Dividimus curam hanc in *somaticam et psychicam*, utraque discedit rursus in *deprimentem* et *stimulantem*.

### I. Cura somatica.

#### a) Debilitans.

Est vel *universalis*, vel *localis* et absolvitur *antiphlogisticis* et *narcoticis*. Phlebotomia principem quandoque tenet locum seu in brachio, seu in collo instituta, rejicienda arteriae temporalis sectio a Burdach commendata, quia deligatione et compressione arteriae facta circuitus liber turbatur, et sanguis ad interiores cogitur partes. Hirudines adplicantur copiosae ad Emissaria Santorini, vel retro aures, minus apte ad tempore; ubi simul revulsionis est necessitas, cucurbitae cruentae magnum ferunt emolumentum. Adjuvant interna remedia refrigerantia, uti: nitrum, acida. Narcotica a multis nimis laudata encomium hoc haud merentur, in specie opium, cauta et provida manu exhibeatur.

#### b) Excitans.

Consistit in applicatione medicamentorum stimulantium tum volatilium, tum fixorum, praecipue cerebralium, uti: Camphorae, Moschi, Aetheria et Ammoniae; huc etiam imponderabilia: Galvanismus, Electricitas et Magnetismus referenda. Denique scopo revellente varia evacuantia, nec non epispastica in usum vocanda sunt.

## II. Cura psychica.

### a) Deprimens.

Hae: Tenebrae, silentium vel sonus ac susurrus monotonus aquae decurrentis, frigus, solitudo, separatio ab amicis et cognatis, nec non a curia domesticis. In dementis aegris miti procedendum est modo, aegri saepius monendi, humane persuadendi, et amice exhortandi, cum patientia et humanitate tractandi; si vero nulla profuerit persuasio et demonstratio, juvat eos superius alloqui, objurgare, imo poenam minari, nonnisi indomabiles qui continuo fugam capere, sibi aut aliis violentas manus inferre moliuntur, cingulis linteis ligandi, omnis vero membrorum compressio evitetur; huc porro pertinet applicatio tunicae manicatae, armillae ferreae, corio obductae, rota cava etc. etc.

### b) Excitans.

Est priori contraria; varii stimuli sunt in usum vocandi, uti: lux, strepitus, odores, calor, contemplatio imaginum pictarum, lectitatio librorum exhilarantium et animum distrahentium, theatra, joci, conversationes, ludi, continua aegri occupatio, sed nova et insaueta, praesertim cum musculorum exercitiis sat valido juncta, labores agrestes, florum cultura, rusticatio, peregrinatio ad regiones amoenas; animus depressus erigendus, praecipue affectibus animi excitantibus gratis: amore, spe et laetitia. Omnibus vero palmam praeripit divina O r p h e i ars, harmonicus instrumentarum musicorum concentus animum reddit hilarem, molestas dissipat curas, procellas animae sedat, et quietem humanis reconciliat praecordiis.

## SECTIO SECUNDA.

### Pars specialis.

Praecipuae psychopathiarum formae

#### I. Morbi animi.

#### Melancholia.

Character hujus formae morbi est: depressio animi ab sensationem quamdam ingratam praedominantem.

Morbus hoc nonnisi sensim sensimque ad plenariam evolutionem graditur. In fastigio sequentia praebet phaenomena: Physiognomia aegri est immobilis, facies pallida aut lurida, genae collapsae; lineamenta tristitiam et animi dolorem exprimentia, musculi faciei in spastica quadam contractione versantes, caput antrorsum vel ad latera flexum, oculi in orbitam retracti, fixi, vel humum versus directi, vel ad astra elati, splendor oculorum nullus, obtutus inquietus, thorax minus movetur, respirium difficile cum frequentibus suspiriis, pulsus debiles, tardi, parvi, spastici, saepe tremuli, cutis sicca, calens et ardens, transpiratio imminuta vel nulla, manus vero et pedes saepe frigidi et sudore diffluentes; aeger vel non movetur, vel continuo stat, vel nihil loquitur, vel sub suspiriis et ejulatu semper de objecto animum suum deprimente; somnus parcus, inquietus, et ingratis somniis interruptus; secretiones omnes inordinatae, in specie urinae vel copiosae clarae et aquosae, vel parcae, crassae et jumentosae.

Melancholia quoad typum est vel continens, vel remittens, imo saepe et intermittens.

#### Causae Melancholiae.

1. Peculiaris animi receptivitas vel congenita vel acquisita, qua momentum disponens.

2. Omnes influxus externi, qui ingratas sensationes gignere possunt, praecipue pathemata animi deprimentia, in specie odium in se vel alios directum. Exemplum gravissimae per odium inductae melancholiae habemus in Tymone Atheniensi, qui dives ab nimiam misericordiam erga pauperes, ipse quoque pauper evaserat, cumque a cunctis amicitiam prius fingentibus se derelictum videret, tantum erga genus humanum concepit odium, ut relicta patria remotissimas peteret silvas. Referente Luciano sequens adiati Mysanthropi confessio erat:

„*Quoad vivus* ero, haec sancta sunto: congressum hominum fugere — notum habere neminem — omnes despicere. — Amicus, hospes, misericordia sunt nugae. — Amicum habere, hospitem excipere, inopia misereri, lamentanti opem ferre, transgressio legis esto. — Vita mihi sit ut lupo solitaria, unicus sit amicus Tymon Tymoni, ceteri hostes et insidiatores. — Si aliequar quemquam, eodem die impurus ero, si quem die hominem videro, eadem atro notetur carbone. — Cum nulla foedus percutiam, fines inter me et eos sunto deserta et solitudines; solus Tymon dives, esto sibi vicinus, et finitimus, ab aliis remotas. — Tribus popularum, patria, parentes, agnati, nomina frivola sunt, inutilia et ambitio fatuorum. — Nomen dulcissimum mysanthropus! — Character meus essentialis sit morositas, asperitas, inhumanitas, tyrannis. — Si quis igne exardescens perest, ei pice et oleo admota auxilium feratur. — Si quis hyeme glaciei undiaque immersus periclitetur, lapis collo ejus ligetur, ut sie profundo submersus *pereat mari*.“

Exitus Melancholiae.

1. In sanitatem perfectam, vel minus.
2. In alias vesaniarum formas, uti in fatalitatem, idiotismum, moriam, imo et maniam.

3. Non raro organica vitia accedunt, quae mortem quoque post se trahunt, uti: febris nervosa lenta, marasmus, scorbutus, et paralyses, frequentissime obeunt melancholici ex tabe, secundum Lorry *tabe melancholica* dicta.

## Praecipuae varietates melancholiae.

### 1. M. erotica. Erotomania.

#### Amor insanus.

Consistit in nimis exorbitante amore et propensione erga individuum sexus alterius reale vel imaginatum. Differt essentialiter a nymphomania et satyriasi, quae phaenomena in morboso sphaerae sexualis stimulo fundentur.

#### Momentum historicum.

Haec Melancholiae varietas generi humano fere coaeva, omnibusque populis cognita fuit. Antiquissimi amorem pro Deo agnoscentes, erotomaniam pro Cupidinis, hujusque matris vindicta habuerunt.

Galenus culpam tribuit amori, qui maximas physicas et psychicas turbas gignit; philosophi et poetae alienationes amore inductas vividis depingunt coloribus, imo et medici omnis aevi earundem meminerunt.

Nemini parcit amor seu docto seu imperito. Lucretius philtro seu poculo amoris vesanus redditus, autochir evasit. Tasso infelicem suum amorem per 40 deploravit annos. Cervantes in opere suo notissimo „Don Quixote“ quam accuratissime describit morbum huncce suis temporibus epidemice grassantem. Huc denique referendus est a Goethe depictus Werther, qua prototypon melancholiae eroticae suicidio terminatae.

Symptomata.

Intuitus horum individuorum est semper vivax, cumprimis in vicinia subjecti amati, aut si in phantasia cum hoc se uniendo delectuntur. De objecto amato cum maximo disserunt enthusiasmo, ast in omnibus eorum dictis factisque summa cernitur modestia, nec unquam infidelitatis se reos efficiunt. Objecto vero eodem ab illis remoto doloris et tristitiae fiunt victimae, qui status ad desperationem usque evectus, non raro autochiria finitur. Omnia melancholiae offerunt symptomata, obtutus eorundem languet, oculi vel terram versus continuo directi, vel ad nubes elati, lineamenta faciei intimum illorum animi dolorem testantur, appetentiam, somnumque amittunt, quod si etiam posterior locum habeat, insomniis circa morbum proprium versantibus multum affliguntur; omnem societatem fugiunt, quaerunt solitudinem ut eo liberius phantasiae suae ludibriis occupari queant; nan raro in febrem, quam Lorry eroticam appellat, incidentes, tandem consumantur. Status hic morbosus in sexu sequiori facile cum chlorosi confundi posset, a qua vero accurato examine medico distinguitur, praesertim sermone circa dilectum individuum instituto, quo vel nominato tota facies carondum target, pulsusque fortiores et frequentiores evadant.

Exitus.

Frequentissime terminatur erotomania ob mentis convictionem de impotentia subjectum amoris possidendi, in desperationem, vitae taedium ac suicidium. Alias perfecta mentis animique alienatio subsequitur. Denique non raro cita ingruit mors.

Cura.

Unicum, morbum hunc sanandi remedium, est sempiterna cum individuo peramato copula.

2. Mel. religiosa.

Est ea vesaniae forma, qua detenti aegri se in perpetuum condemnatos atque inferis traditos opinantur. Individua talia sibi imaginantur, se gravissimam quoddam comisisse scelus; sunt plerumque macilenta, flave colorata. Camprimis feminae huic malo obnuxiae sunt, praecipue juvenili aetate in Venere nimia excedentes, eaque de causa in religione consolamen quaerentes.

3. M. hypochondriaca.

Est sequela mali hypochondriaci, a quo gradu solum differt.

4. M. ex taedio vitae.

Vulgatissima est haec morbi forma in Anglia, quare *M. anglicana* quoque dicta.

5. Nostalgia (Heimweh).

Laborant hocce animi morbo praeprimis muntium acolae, si dulci suo natali solo valedicere coguntur, quadque si denuo non petant, ex depascente succumbunt febri.

II. Morbi memoriae.

Varia sub forma memoria alienata semet manifestat, et quidem

1. est nimis arctus ejus horizon — *angusta*;
2. non diu impressiones susceptas sustinere valet, seu est *infidelis*.
3. *Lenta*, seu ideas lente capiens.
4. *Amnesia*, seu oblivio rerum, quae est vel *absoluta*, vel *relativa* ad singula objecta, uti: nomen, numeros, linguas etc. restricta.

### III. Morbi phantasiae.

**Ideae fixae.**

Oritor haec vesaniarum species, si imaginatio idea quadam correpta unice semperque hac occupatur, amnibus aliis neglectis. Praecipua hujus varietas est sic dicta *demonomania*, quae in pluribus locis jam epidemice grassabatur; sic anno 1552 Romae 80, cum fine seculi 16. Friedbergae 200 individua ad semel ea correpti fuerunt. Eodem seculo in Electaratu **Trier** intra paucos annos 6000 ejusmodi infelicium poena mortis affecti sunt.

### III. Morbi intellectus.

#### 1. Amentia.

Tres distinguuntur imbecillitatis mentis gradus.

a) *Fatuitas* (Albernheit).

b) *Stupiditas* (Dummheit) bene a stultitia distinguenda.

c) *Idiotismus* (Blödsinn) cujus varietas endemice in diversarum regionum vallibus regnans, ac plerumque cum struma incedens *Cretinismus* vocatur.

#### 2. Moria s. stultitia (Narrheit).

Fundatur in anomala idearum combinatione, earumque mutua inter se associatione.

### IV. Morbi instinctuum.

**Moria (Tobsucht, Raserei etc.).**

Gravissima haec psychea alienatio per inanitas recurrit, quorum haec est imago: Physiognomia alterata, facies plerumque intense rubra, quandoque pallida, oculi suffusi, capilli erecti, obtutus ferox, vagus et

*) Möchsee: Gesch. der Wissenschaft in der Mark Brandenburg, 1781.

minitans, stridor dentium, respiratio citata et difficilis, pulsus durus et contractus, tremores artuum, manus in pugnum contracta, vox clamorosa, arteriae omnes fortiter vibrantes, robur taurinum, omnia frangere, vincula solvere, denique sibi vel aliis violentas manus inferre conantur. Datur vero et alia maniae species, sic dicta occulta.

## Varietates peculiares maniae.

### a) Furor necandi (Mordwuth).

Aegri ejusmodi sub insultu maniaco aut suicidium, aut homicidium comittunt. In specie suicidium occurrit frequentissime intra 20—40 annum, saepius in sexu musculo; est non rara malum epidemicum.

Philosophus **Hegesias**, taceus Stoicismi sectator publice circa vitae contemtum sermones faciens plures ad hoc scelus seduxit.

Juxta **Plutarchum** Milcti puellae et foeminae turmatim semet necabant, eo quad mariti ob bellum a patria remoti essent.

### b) Satyriasis et Nymphomania.

Invadit individuo juniora, constitutionis plethoricoerethicae, temperamenti sanguinei, Veneris aut abusui dedita, aut ab eadem nimis abstinentia. Formam hanc morbi contagiosam esse exemplo ab **Heinroth** adducta testantur.

### c) Tarantismus (Tanzwuth).

Ea ex causa morbus hic sic denominatus erat, quia, etsi false, putabatur, eundem morsu per Tarantellas inducto, provocari. Consistit autem in indomabili nisu continuo saltandi. Similis erut morbus in Holtandia anno 1393 frequenter obvius, et *chorea* St. **Joannis** nominatus.

## *Theses defendendae.*

I.

Existunt morbi pure psychici.

II.

Causa ultima hypochondriae est perversa facultas imaginandi.

III.

Vita systematis nervosi animalis unice a vita psychica dependet.

IV.

Diuturna in Morodochiis mora et medici mentem turbare valet.

V.

Criteria plenariae sanationis vesaniae non dantur.

VI.

Omnis Autocheir vesanus.

VII.

Mens sana nonnisi in corpore sano.

VIII.

Immoralitas, scelus et dementia ex eodem scaturiunt fonte.

IX.

Erotomania saepissime perversae educationis effectus.

X.

Totus mundus morocomium, et morocomium mundum repraesentat.

### XI.

E tribus faciei partibus frons praeprimis facultates intellectuales, nasus sensuales, os cum regione mentali appetitiones exprimunt.

### XII.

Facillime sanatur *mania*, difficilius *melancholia*, adhuc difficilius moria, difficillime vero *idiotismus*.

### XIII.

Morbus Brigthii est tuberculosis renum.

### XIV.

Aurum monetale plures sanat morbos quam ejus praeparata.

